

repleuit omnem terram. Habes etiam de omnibus qui
conuenerunt cum apostolis dictum. quia repleti spiritu
sancto. loquebantur uerbum domini cum fiducia. Vides quia
& plenitudinem. & fiduciam dicit spiritus sanctus. cuius opera
tione archangelus nunciat. dicens marie. spiritus sanctus super
ueniet in te. Habes etiam in euangelio. quia
angelus secundum tempus descendebat in natatoriam.
& mouebatur aqua. & qui prior descendisset in natato
riam. sanus fiebat. Quid in hoc typo angelus. nisi
descensionem sancti spiritus nuntiabat. que nostris futura
temporibus. aquas sacerdotalibus inuocata precibus
consecraret. Ille ergo angelus. sancti spiritus erat nuntius.
eo quod per gratiam spiritalem. medicina nostris
esset. animi ac mentis languoribus deferenda. Cosdem
ergo spiritus habet. quos deus pater & christus ministros. Sic
omnia repleti. sic omnia possidemus. sic omnia operamur
& in omnibus. quemadmodum & deus pater operatur
& filius. Quid igitur sancti spiritus operatione diuinius. cum
etiam benedictionum suarum presulem spiritum. deus ipse
testatur dicens dicens. ponam spiritum meum supra
semen tuum. & benedictiones meas super filios tuos.